



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 44. Quid circa vestes sacras, Corporalia, purificatoria & alia paramenta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

322. Q. 43. *Quid circa mappas & antependium si adueniam.* R. seqq. §. 1. Duas mappas nunc sufficere, etiamsi non tegant totum Altare, docent Henr. Suar. Laym. Bonac. Gob. in Exp. t. 3. n. 289. Sporer n. 378. &c alii plures contra Gav. &c Jordan. sic enim habet usus, & pro tertia servit corporale, Verj. t. 8. a. 7. n. 2.
323. §. 2. Mappa non debet esse ex serico vel lana, sed ex lino, cannabe vel goffipio : partes tamen dependentes possunt aliter ornari, Pajq. q. 708.
324. §. 3. Una longa mappa potest servire pro pluribus, si duplicetur vel triplicetur saltem quoad illam partem, in qua est lapis consecratus, aut si rotum Altare sit consecratum, in qua reponitur calix & patena, Pajq. q. 707.
325. §. 4. Sine necessitate celebrare absque ulla mappa est mortale : si autem adsit gravis necessitas, nullum est peccatum, Pajq. q. 712. Hinc Silv. Az. Suar. Laym. Tann. Tamb. Sporer n. 379. dicunt in necessitate adhiberi posse non benedictam, quæ peracto Sacrificio redeat ad usus profanos.
326. §. 5. Antependium potest esse ex asseribus vel alia materia coloribus inducta, Jordan. Gob. n. 290. Potest etiam relinqu nuduim marmor vel lapis politus, quia seipso est ornamentum putatque Pajq. q. 713. nullum esse peccatum celebrare absque omni ornatu & antependio, maximè si fiat ex paupertate, sed Quarti dicit fore veniale omittere, si haberit possit.
327. Q. 44. *Quid circa vestes sacras, Corporalia, Purificatoria & alia paramenta sit præterea notandum.* R. seqq. §. 1. Humerale seu amictum non adhibe-

hibere est tantum veniale in illis, qui non ad caput tegendum, sed in solis humeris ferunt, *Pafq.* q. 810.

§. 2. Si Parochus non haberet ullam Albam 328. benedictam, posset die festivo celebrare in non benedicta, *Gob.* in *Exp. t.* 3. n. 323.

§. 3. Cingulum, cuius nulla pars sufficit ad 329. cingendum, amisit benedictionem, *Pafq.* q. 806. Pars sufficiens ad cingendum retinet benedictionem, & ad majorem commoditatē potest ei iterum innodari pars altera insufficiens, quamvis enim per hoc non recipiat benedictionem, tamen totum licet adhibetur ad usum, *Aversa*, *Sporer* n. 413. Et licet idem dicant plures, quamvis neutra pars de se sufficiat, tamen recte cum aliis contradicunt *Aversa & Henao* n. 1809. Si Casula haberet ligamina, quibus Alba posset substringi, haec servire possent loco cinguli, *Pafq.* q. 810.

§. 4. Celebrare sine velo calicis, quando nul- 330. lum habetur, non est peccatum, nam velum, manutergium, pulvinar pro libro requiruntur ob decentiam tantum, nec benedicuntur. Bursa siue theca corporalis potest planè omitti, *Sporer* n. 400.

§. 5. Non est mortale celebrare sine purifi- 331. catorio, quando non potest facilè haberi, *Gob.* n. 314. Et cum purificatorium non requirat benedictionem, potest pro eo adhiberi strophio- lum mundum, quo tamen postea non amplius erunt tergendæ nares, *Suar.* *Averj.* *Gob.* *Sporer* suprà. Debetque purificatorium primâ lotione ablui à persona sacra, *Pafq.* q. 784., qui cum *Suar.* dicit sufficere, si habeat primam tonsu- ram.

332. ¶ 6. Putat *Suar.* mortale esse extra necessitatem celebrare sine palla calicis, sed hoc negant *Sot.* & *Rodriq.* Si autem desit, aut per quadratum exspectari deberet, potest loco ejus adtendendum calicem adhiberi aliud corporale, auct hoc deficiente, purificatorium aut etiam bursa. *Gob.* n. 316. *Sporer* n. 398.
333. ¶ 7. Mortale est nullum habere corporale, aut uti non benedicto, nisi excusat gravis necessitas, *Pasq.* q. 790. Putatque *Dicast.* fore duplex mortale, si celebretur & absque Altari & absque corporali, cuius ratio dabitur nu. 111. Posse autem corporale & pallam esse etiam ex cannabe, probat usus, *Gob.* n. 314. Etiam posse esse ex gossipio docet *Verric.*, & in Indiis talis usus est communior, *Verj.* a. 7. n. 3.
334. ¶ 8. Corporalia post primam lotionem lavari possunt à Monialibus vel laicis, quamvis *Suar.* *Bonac.* & alii dicant convenientius esse, ut tribus lotionibus laventur à persona sacra. Non est mortale, si laicus primâ lotione laveret: & sufficere esse Clericum tonsuratum dicunt *Suar.* & *Pasq.* q. 784. Neque peccatum est, secluso contemptu, si aqua primæ lotionis non injiciatur in sacrarium, sed in alium locum decentem. Unde nec erit mortale, si abluantur in fluvio currente, *Pasq.* q. 795.
335. ¶ 9. Si infirmus esset communicandus, & deesset alicui stola vel Alba, *Verju.* a. 6. putat fore mortale, sine uno horum ei Communionem porrigerere, quia hæc videntur spectare ad reverentiam intrinsecam Sacramento debitam; sed probabilius est oppositum, quia non est positiva irreverentia, sed tantum omisso majoris reverentiae, & necessitas hominis, propter quem

insti

instituta sunt Sacra menta , videtur excusare.

Q. 10. Si paramenta non sint enormiter im-
mund a , est tantum veniale in illis celebrare ,
quamvis foret ipsum corporale, *Marchant*. Imò
usurpare vestes aut paramenta non munda ,
quando alia haberi non possunt, non est pecca-
tum, *Suar. Gob.* n. 389.

Q. 11. Vestibus sacris uti ad comœdiam pro-
fanam vix vacat culpâ mortali. *Suar. Gob.* n. 389.
Detritæ autem non sunt adhibendæ ad usus
profanos, sed vel exurendæ, vel è majoribus fa-
ciendæ minores , v. g. ex Albis humeralia aut
superpelliceum, ex Stola manipulus, *Tann. Gob.*

Q. 45. Quid dicendum sit de casu , in quo mors
intentatur Sacerdoti, nisi consecrat extra Missam, si-
ne sacris vestibus, sine Altari, calice &c. R. Præter
illa, quæ habet *Busenb.* hic notanda sunt seqq. Q. 1.
Dixi p. 1. à n. 156. talem Sacerdotem gravissi-
mè peccaturum, si verba consecrationis profer-
ret sine intentione consecrandi , sed posse alia
verba submissè dicere : possuntque de hoc plu-
ra videri apud *Henao* à n. 1776.

Q. 2. Si mors intentetur , nisi celebret sine
sacris vestibus, altari aut calice, *Caj. Nugn. Suar.*
Castrop. Fill. t. 5. n. 148. Verj. t. 8. a. 6. dicunt ce-
lebrare non posse aut consecrare , quia est in-
trinsecè malum , eò quod ista spectent ad in-
trinsecam reverentiam Sacramento debitam.
E contrà *Az. Vasq. Valent. Sal. Becan. Bonac. Dian.*
p. 11. t. 6. R. 15. & 25. *Pasq. q. 701. Gob. t. 3. n. 339.*
Reques. d. 15. n. 65. Sporer n. 396. & 408. dicunt
non esse intrinsecè malum , ideoque licere ex
metu mortis , sed rectè notat *Avers. q. 11. f. 13.*
casum in praxi vix habere locum , quia vix ab-
erit contemptus fidei vel Religionis, qui si adsit,

M 5

erit

336.

337.

338.

339.